



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio XCI. Manuteneri non debet Episcopus in iurisdictione, quando  
inferior docet de antiquissima possessione cum privilegio non obstantibus  
contrariis aactibus[sic!] æquivocis pro Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

## DECISIO XCI.

Manuteneri non debet Episcopus in jurisdictione, quando inferior docet de antiquissima possessione cum privilegio non obstantibus contrariis actibus æquivocis pro Episcopo.

R. P. D. Coccino.

Inter recent.  
deci. 447.  
par. 1.

Theatina jurisdictionis de Atissa.

Luna 12. Decembris 1612.

## SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| 1 Episcopus habet fundatam intentionem in locis sue diocesis quamvis inferior allegaret immemorabilem fallit. ut num. 5. | 4 Visitaciones ab Episcopo facta post Concilium Tridentinum non arguunt aliquam jurisdictionem, cum fuerint facti vigore Concilii. |
| 2 Privilegium concessum ab Episcopo absque consensu Capituli an valeat.  |  |
| 3 Manutentio non datur Episcopo ubi in-  |  |

**L**icet locus Atissa sit intra limites diocesis Theatinae juxta resolutiones in hac causa factas, ut propterea Reverendiss. Archiepiscopus habeat intentionem fundatam de jure ut in cap. omnes Basilica, 16. quest. 7. Rom. cons. 180. num. 4. ubi habet enim, Federio, de Senis cons. 145. num. 6. ante fin. vers. unde si aliquis, etiam ad effectum manutentionis ut in c. cum persona, de privil. in 6. & tanto magis in criminalibus & matrimonialibus vigore Concilii Tridentini sess. 24. cap. 20. §. ad hac de re. ex cujus sententia sacra Congregatio censuit, quod etiam si inferior alleget immemorabilem, nihilominus ordinarius debeat manuteneri, donec de ea per tres sententias conformes cognoscatur.

Tamen Rota in casu, de quo agitur, censuit Præposito Atissano dandum esse mandatum de manutenedo, quoad cognitionem causarum civilium, matrimonialium, & criminalium. Quia necdum constat de possessione d. Præpositi, verum etiam docet de privilegio sibi concessio usque de anno 1118. à tunc existente Episcopo & Capitulo Theatino, subscripto ab ipsomet Episcopo, quod privilegium cum fuerit elatum



datum ante Paulinam de consensu Capituli, absque dubio suffragatur. *cap. 2. & cap. cum nos, & c. sua de his qua sunt à Pralat. C. pastoralis, in fine de donat. Federic. de Sen. conf. 111. numer. 3. vers. nam cum in tali, & fuit dictum in alia Theatina jurisdictionis 26. Martii praevarii coram R. P. D. meo Cavalerio. Ultra quod ex observantia subsecuta nempe ex solutione Bizantii, de quo in d. privilegio, & ex cognitione causarum, quatenus Beneplacitum Apostolicum esset necessarium, esset praesumendum. Gonzal. ad reg. 8. glos. 12. num. 76.*

Unde sequitur, quod cum Reverendiss. Archiepiscopus nitatur sola dispositione juris communis, Praepositus autem alleget possessionem & privilegium, proculdubio Praepositus sit manutenendus, & habetur in d. C. cum persona, ubi Anchar. nu. 2. Gemu. in §. fin. circa finem. & ibi etiam Franc. num. 2. & 3. & dixit Rota in Salamantina jurisdictionis, 17. Decemb. 1582. coram Cardin. Seraphino, & in Aquilana jurisdictionis 30. Maii 1670. coram R. P. D. meo Pamphilio.

Neque obstant visitationes datae pro parte Reverend. D. Archiepiscopi, quia nulla visitatio datur ante Concilium Tridentinum, illae autem quae dantur, sunt post dict. Concilium; unde cum non constet illas fuisse factas jure ordinario, vel vigore Concilii, ista probatio tanquam dubia non relevat D. Archiepiscopum *cap. in presentia de probat. & in puncto fuit resolutum in d. Aquitanen. in qua dicitur, quod non doceatur de visitationibus ante Concilium, verisimile erat, quod fuissent factae vigore Concilii, allegando in argumentum. text. in l. quadam mulier, ff. de rei vindic. & in l. 2. ff. de acquir. possess.*

Non obstat dispositio Concilii Tridentini & declaratio Illustrissimorum Interpretum, quia licet verum sit, quod, dum cognoscitur super immemorabili per tres conformes, Ordinarius debeat manuteneri; tamen quidquid sit, an Concilium procedat in Decanis & aliis dignitatibus in eadem Ecclesia tantum, vel etiam in aliis inferioribus Ecclesiis, in quibus non habere locum dispositionem Concilii censuit Rota in Salamantina jurisdictione 1. Julii 1606. coram Joanne Aldobrandino, & in Burgen. jurisdictione 16. Decemb. 1594. coram Orano; quia postmodum non fuit facta ista distinctio coram me in causa Baren. jurisdictione. & in alia Theatina jurisdictione coram R. P. D. meo Cavalerio, decisiones Concilii videntur indistincte loqui, & propterea quidquid sit de hac responsione, firmiter fuit dictum, quod declarationes Concilii loquuntur, quando agitur super immemorabili tantum, hic autem docetur de privilegio, & de antiquissima possessione. Unde nisi aliud censuerit Sacra Congregatio, placuit Dominis dispositionem sacri Concilii esse intelligendam quoad manutentionem dandam inferiori, qui docet de privilegio & possessione secundum terminos. *cap. cum persona, de priv. in 6. Et ita conclusum.*